



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

Parisiis, 1644

Epistola CCCXIII. Ioannis Papae VIII. Ad Epsicopos Galliae Et Germaniae.
Vices suas in Gallia & Germania committit Ansegiso archiepiscopo
Senonensi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15967

IOANNIS PAPÆ VIII.

AD EPISCOPOS GALLIÆ ET GERMANIÆ.

Vices suas in Gallia & Germania committit Ansegiso
archiepiscopo Senonensi.

*Ioannes episcopus seruus seruorum Dei, omnibus sanctissimis
episcopis per Gallias & Germanias constitutis.*

VESTRÆ omnium innotescimus sanctitati, quia pro ali-
leuiandis multiplicibus oneribus ecclesiasticis, quibus
quotidie satis abundeque deprimimur, quibus maxime su-
per negotiis ex Galliarum & Germaniarum partibus nobis
affidue destinatis arctamur, constituimus' Ansegisum fra-
trem & coepiscopum nostrum Senonensis ecclesiæ præ-
fulem, qui quoties utilitas ecclesiastica dictauerit, siue in
vocanda Synodo, siue in aliis negotiis exercendis per Gal-
lias & Germanias vice nostra fruatur. Et volumus, ut de-
creta sedis apostolicae per ipsum vobis manifesta efficiant-
tur, & rursus quæ gesta fuerint eius nobis relatione, si ne-
cessè fuerit, pandantur: ut maiora negotia ac difficiliora
quæque suggestione ipsius a nobis disponenda & enuclean-
da querantur. Quapropter vos huic piæ sanctioni omni-
modis intendentes, quæ super hoc apostolica auctoritate
decernimus vñanimes admittite. Talem quippe illum ag-
nouimus, talemque circa sedem apostolicam deuotum &
in commisso fidelem reperimus, ut merito ei talia commit-
ti posse ducamus: quin & his maiora conferri debere illi si-
ne cunctatione credamus, pro sua scilicet sanctitate, & fi-
dei merito, atque diuinitus sapientiae dono concessio. Opta-
mus vos bene valere. Data i. v. Nonas Ianuarias, indictione ix. Recitata in Synodo Pontigonensi.

NOTA IACOBI SIRMONDI

SOCIETATIS IESV.

Ansegisum fratrem.] Quem ex abbatte S. Michaelis in episco-
patu Bellouacensi ad Senonensem cathedralm electum didicimus
anno DCCCLXXI. Romanæ eiuslegationis, cum adhuc abbas esset,
meminit Aimoinus lib. v. cap. XXVII. Peruerse autem faciunt,
qui hunc cum altero antiquiore Ansegiso confundunt abbatे Lo-
bensi, qui Caroli Magni & Ludouici Pii capitula in quatuor libros
digessit anno DCC CXXVII.